Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8132
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

conmederit, puella suavio maritum opponat, et
fugiens cubat in ultima sponda. Sed mittamus ista.
Tu ut verum nostis naturas et progressus, rogo
deponas allii, si qua sint nocumenta, tum iuva-
mentum. Quibus cognitis, doctior quisque ab eo confugiet
Wen Ut suades facturus. Sed similiter eius prius dicere
complexionem **Con** Ut placet

De allii complexione

Wen Allium domesticum, quo utimur, calidum est et
siccum a gradu tercio, usque in primam quarti
gradus mansionem. Posuere namque phisici
in calido et frigido, plus quam in sicco et humido, istas
graduum consistencias. Cum calidum et frigidum maxime
activa, effectibus suis plus et notabilius exprimunt.
Volt quidem plerumque siccitas, presertim ignea, calido
esse comes et humiditas suapte aquea frigido
sociari. Sed quantum nostre dignocionis est, edocti
cogimur prefari: calidi et frigidi in humanis corporibus
transgressus, humorum lapsuum causas coexistere.
Neque inficiamur utriusque vicissim et calidi et
frigidi perpetuum bellum, ut nunquam simul irrupta
coeant. Quorum dissidencia, alterius nomine a philozophis
exprimitur. In qua quidem controversia gradus quosdam
natura statuit, veluti est dicere in primis elementis
Ignem primum calidorum, aquam vero primum frigidorum,
medio utriusque conciliatricem aere puta primo
humectatore, qui igni in calido, aque in humido cernitur
statim naturali intelligencia simbolizans. transitum

Allium ca[lidum] 2 s[iccum]